

V/K
1924



449



FACVLTATIS IVRIDICAE
DECANVS

HIERONYMVS FRIDE-
RICVS SCHORCH
ICTVS

SACRI PALATII CAESAR. GOMES, EMINENTISSIMI AC
CELSISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI CON-
SILIARIVS REGIMINIS, MEMORATAE FACVLTATIS AS-
SESSOR SENIOR, DECRETALIVM PROFESSOR PVBL. ORD.
CIVITATIS ERFORD. CONSVL PRIMARIVS, NEC NON
ACADEMIAE ELECT. MOGVNT. SCIENTIARVM
VTILIVM PRAESES,


SOLENNIA INAVGVRALIA

NOBILISSIMI AC CLARISSIMI IVRIVM CANDIDATI

Dn. SAMVEL GODOFRED. BAVMEISTER
GÖRLICIO-LVSATI

DIE IX. IVLII MDCCLXXVII.

PERAGENDA INDICIT.



ERFORDIAE
LITERIS HENRICI RVDOLPHI NONNII
ACADEMIAE A TYPIS.



FACULTATIS IURIDICAE

DECANVS

HIERONYMVS FRIDRICH
RICHVS SCHORCH
ACTVS

SACRI PALATII RARAR. COMES. EMINENTISSIMO AC
CELEBRISSIMO PRINCIPIS BRUNTVR. MOYNTVINI COM.
SILARIVS REGINIS. MEMORATAE FACULTATIS AS
SESSOR SENIOR. DECURATVM PROFESSOR PVB. OR.
CIVITATIS ERORD. CONSUL PRIMARIVS. REC. NON
ACADEMIAE H. S. T. BOGAVT. SCHENKIVM
VITVM PRAES.

SOLENNIA INAUGVRALIA

NOBILISSIMO AC CELEBRISSIMO IURVM CANDIDATO

D. SAMVEL GODFRED. BAVMEISTER

ORATIONE PRAE

DIE IX. IULII MDCCXXXII.

PRAGAE

ERHARD BAWMEISTER
LITTERIS HENRICI RVDOLPHI NONNI
ACADEMIAE A TYRIS.







ransactionis negotium etsi in genere
 stricte interpretandum sit, id quod
 tum ex idea & natura transactionis,
 siquidem ea semper vnus ius suum vel
 saltim partem eius remittit, adeoque renunciatio, quae stricte in-
 terpretanda, eidem inest, tum ex legum dispositione patescit *l. 9.*

* 2

S. I.



§. I. ff. de transact. l. 31. C. eod. tamen interest aliquid inter transactionem *specialem*, quae de re singulari vel pluribus specialiter enumeratis fit, & inter transactionem *generalem*, quae initur de re, cuius appellatione multae continentur species, qualis est hereditas, tutela. In *illa* transactio restringitur saltem ad rem & causam, quae in transactione nominata est, licet transactio generaliter fit facta, eaque quis promiserit: se nihil amplius petiturum. l. 31. C. de transact. Species enim praecedens restringit genus subsequens & clausula generalis restringitur ad rem prius specificatam, idque eleganti exemplo illustrat STRYK de cautel. contract. Sect. IV. cap. 3. §. 4. seq. In *hac* vero transactio porrigitur ad omnes res & species, quae sub genere continentur, licet nominatim enumeratae non sint, quia species sunt partes generis, & qui de genere cogitat, non potest non de speciebus sub eo contentis etiam cogitare. Atque ideo CELSVS in l. 12. ff. de transact. non esse eum ferendum ait, qui generaliter de his, quae testamento ei relicta sunt, transegerat, si postea dicat se de eo solo cogitasse, quod prima parte testamenti, ac non etiam quod posteriore legatum sit. Atque hinc est, quod in l. 29. C. de transact. expressim fanciatur: sub praetextu specierum post repertarum generali transactione finita rescindi prohibent iura. Vbi specierum nomine non venire instrumenta nouiter reperta, ut GODOFREDVS in notis ad h. l. alique plures opinantur, in apico est, siquidem & de hoc casu l. 19. praecedens eiusdem tituli tractauit, sed potius res seu individua sub genere contenta significantur, vid. LEYSER spec. 46. medit. XI. Et proin legis sensus hic est:



si de genere e. g. de hereditate transactum est, ea transactione comprehenduntur omnes res ad hereditatem pertinentes, licet una vel altera post transactionem demum innotuerit, adeoque nominatim in transactione expressa haud sit. Genus enim omnes sub se complectitur species. Et species insunt suo generi l. 147. ff. de Reg. iur. Excipit tamen citata lex 29. C. de transact. hunc casum: *si error circa proprietatem rei apud alium extra personas transigentium* tempore transactionis constitutae interuenit. Species talis est: Tu hereditatem possides pro herede, eam hereditatem Caius petit, & dein tecum transigit de hereditate. Sed Sempronius tempore transactionis ex hereditate rem aliquam possidet, quam Caius in eius proprietate esse, nec proin ad hereditatem pertinere erronee putat. Hanc rem si deinde ad te peruenerit, Caius non obstante transactione generali petere & vindicare potest. Scilicet quia de hac re transigens non cogitauit, nec cogitare potuit, errorque consensum impediuit confer. DONELLVS ad l. 29. C. de transact. n. 7. & sequ. Sed pluribus hanc materiam in Lectione, quam vocant, Curforia ad l. 29. C. de transact., illustrabit

NOBILIS ET CLARISSIMVS

Dn. SAMVEL GODOFREDVS BAVMEISTER,


IURIS VTRIVSQUE CANDIDATVS MERITISSIMVS,

qui de suis natalibus, vitaeque adhuc laudabiliter transactae ratione sequentia nobis retulit:


* 3

Ego





Ego **SAMVELIS GODOFREDVS BAVMEISTERE-**
RVS Gorlicii oppido in Lusatia superiori florentissimo ce-
 lebrique MDCCL. d. XII. Septembris natus sum, patre **M.**
FRIDERICO CHRISTIANO BAVMEISTERO, Au-
 gusti Gymnasii Gorlicensis Rectore, per quadraginta, amplius,
 annos de re scholastica litterisque meritissimo, matre, **IO-**
HANNA EUPHRASINA FRIDERICA, Viri post fa-
 ta venerandi, **IO. CASP. HAFERVNGII**, Doctoris quon-
 dam & Professoris Theologiae in Academia Vitembergensi
 celeberrimi filia natu minima. Quorum quidem optimorum
 parentum curam in me liberalius educando inde usque a pri-
 ma infantia, tantam sum expertus, quantam, valde dubito, an-
 digna satis possim collaudare. Puerulum me parentes do-
 mesticis limandum tradiderunt praeceptoribus, post, in pa-
 trium receptus Gymnasium, dici non potest qua fide quoue stu-
 dio cum a ceteris publica constitutis autoritate magistris,
GEISLERO, **NEVMANNO**, **GROSSERO**, **VRBA-**
NO, **PETRI**, **HORZANSKYO**, tum a patre maxime ve-
 nerabili ad omnem humanitatem fuerim informatus. Ita
 ergo ubi in Gymnasio, variis litteraturae elegantioris exerci-
 tationibus obeundis, aliquot annos consumseram, in Academiam
 Lipsiensem Anno MDCCLXX. discessi, maiorem ingenii cul-
 tum capeffiturus. Hic, in patentissimum omnis doctrinae ele-
 gantiaeque campum delatus, committendum non putavi, ut oc-
 casionem a fortuna datam, praetermitterem, mihi que adeo
 ipse defuisse viderer. Celeberrimorum, quibus affluit Lipsia,
 doctorum scholis, qua poteram debebamque assiduitate interfui,
 nec, nisi laetio rem sapientiaeque opibus auctio rem, me vel a
GARBII, qui in interiores philosophiae recentioris recessus &
 adyta penetrabat, vel ab **HAVBOLDI** naturalium rerum
 indagatoris, vel ab **ERNESTI**, historiam tradentis, latere dis-
 cessis-



cessisse recorder. *A* viris praeterea iurium diuinorum humanorumque consultiſſimis ad Themidis sacra ipſosque adeo iuris prudentiae fontes in academia Lipsiensi me deductum fuiſſe gratus profiteor, & tamdiu profitebor, quam diu me in ſcholis SAMMETII, WENKII, SCHOTII, BIEDERMANNI, PÜTTMANNI, RICHTERI, ZOLLERI, REGNERI, aliorumque ea, quae e re fuerunt mea, audiuisse non poenitebit. Ad Studia academica feliciter prosequenda plurimum attulit adiumenti munificentia SENATVS AMPLISSIMI GORLICENSIS, qui rerum mearum tenuitatem perbenigne subleuaturus, stipendio litterario, eoque liberaliori per trium annorum spatium me ornauit, sustentauit. Quod insigne beneficium, pro eo, ac debeo, gratissimus praedico, & dum viuam, praedicabo, Deum comprecatus immortalē, ut tam benignis studiorum meorum promotoribus det, quam merentur, felicitatem, & quam dedit conseruet. In patriam ubi MDCCLXXIII. redii, vsui fori, cauſſisque clientum disceptandis operam nauare occoepe, in Aduocatorum numerum aggregatus. Ex qua quidem optabili dignitatis fortunaeque accessione hoc consecutus sum commodi, ut illustrissimū Comitē ab EINSIEDEL gratia, mihi vel immerenti conciliata, me iudiciariae rei, in foro Reibersdorffensi disceptandae, ante hos tres annos, praesentem esse voluerit, Assessoris Praefecturae nomine & titulo cohonestatum. Nihil est rerum omnium, quod malim, quam hanc mihi clementiam tanti Maecenatis conseruare perpetuam, qua, nullus dubito, quin futurae meae felicitatis praesidia solide vereque stabiliantur.

Cum itaque nunc summos in vtroque iure honores ambiendi consilium ceperit, Ordinem nostrum adiit, atque ut ad rigorosum, quod Candidatis iuris subeundum est Examen, eoque superato ad cetera specimina inauguralia admitteretur, modeste petiit. Laudabi-

74. 1924. 5A

dabili huic desiderio locum fecimus, ac proin binòs ex viroque iure textus resoluendos ei adsignauimus, quos curate enodauit, & in ipso Examine riguroso ita respondit, vt vnanimibus suffragiis ad reliqua, quae supersunt, specimina, & ad ipsum gradum Doctoralem, quo condecorari in votis habet, admitteretur. Ideo que proximo die Mercurii d. 9. Iulii Lectionem Curforiam ad l. 29. C. de transact. instituet eaque finita dissertationem suam inauguracionalem

DE QVAESTIONE:

NVM VASALLVS DE FEVDO IN LVSA-
TIA SUPERIORE PER VLTIMAM VOLVNTATEM
DISPONENS PRAECISE PROXIMITATEM
GRADVS OBSERVARE TE-
NEATVR ?

publice defender. Ad quos actus solemnes Reuerendissimus & Magnificus Dn. Rector, perillustres Barones, Vniuersitatis proceres ac Ciues Academici omnes, ea, qua par est obseruantia, inuitantur. Publ. sub sigillo facultatis iurid. d. 6. Iulii A. O. R. MDCCLXXVII.



ULB Halle
006 762 026

3



VD 28







FACULTATIS IVRIDICAE
DECANVS
**HIERONYMVS FRIDE-
RICVS SCHORCH**
ICTVS

SACRI PALATII CAESAR. GOMES, EMINENTISSIMI AC
CELISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI CON-
SILIARIVS REGIMINIS, MEMORATAE FACVLTATIS AS-
SESSOR SENIOR, DECRETALIVM PROFESSOR PVBL. ORD.
CIVITATIS ERFORD. CONSVL PRIMARIVS, NEC NON
ACADEMIAE ELECT. MOGVNT. SCIENTIARVM
VTILIVM PRAESES,


SOLENNIA INAVGVRALIA

NOBILISSIMI AC CLARISSIMI IVRIVM CANDIDATI
Dn. SAMVEL GODOFRED. BAVMEISTER

GÖRLICIO-LVSATI

DIE IX. IVLII MDCCLXXVII.

PERAGENDA INDICIT.



ERFORDIAE
LITERIS HENRICI RVDOLPHI NONNII
ACADEMIAE A TYPIS.

